

2576



Dilputatio Ethica

De

LIBERÆ ACTIO-
NIS IN CIVILIBVS
PRINCIPIO,

in qua Scholasticorum &
Iesuitarum aberrationes ab A-
ristotele monstrantur,

quam,

Auxiliante Deo

PRÆSIDE

M. CONRADO RVHELIO,

Publice tuebitur

GEORGIUS VOGELSANGIUS,
Hildesianus Saxo.

Ad diem 17

Collegij novi auditorio ma-
a 5 matutinâ.

JITEBERGÆ,

Excudebat Iohann. Schmidt, An. 1605.



Coll. diss. A
69, 43

a. XCIX. 43.



Excellentissimo, doctrina, va-
rioque usu clarissimo

DN. IOACHIMO MIDDEN
DORPIO, MEDICINÆ DOCTO-
RI PERITISSIMO,

ET

*Prudentissimis, auctoritate & virtutis fama con-
spicuis Dominis*

Dn. BARTOLDO KOLEVES

&

Dn. GEORGIO Detmers

Reipub. Hildesianæ, Equitum Magistris
strenuis,

NEC NON

*Spectatissimis item, doctrinae, prudentiæ aliarumq; virtutum
splendore præclaris, Viris amplissimis*

Dn. HENNINGO Wildeferer

Dn. VLRIKO Redeken

Dn. CHRISTOPHORO ab Harlessen

Civibus eiusdem Reipub. primarijs.

*Dominis Patronis, ac promotoribus suis sum-
missè honorandis*

Διάλεξι hanc publicam, in publicum debitæ reve-
rentiæ & gratitudinis monumentum

inscribit

GEORGIUS VOGELSANCIUS Hild.



547
DE PRINCIPIIS ACTIONVM
MORALIUM.

THESIS I.



Um de virtute morali, huiusq; matre, norma atq; regula Prudentia, antehac collocutiones publicas habuerimus, placet nunc consimilem subicere de actionum humanarum, & consequenter virtutum ac vitiorum principijs. Quemadmodum in actionibus illis virtutes quoque occupantur. Hoc propositum nostrum ita persequemur, ut philosophemata Scholasticorum & Bellarmini de libero arbitrio in moralibus ad doctrinam Aristotelis, ad quam ipsimet provocant, suaq; per integros tres libros, 3, 4, 5 de Grat. & lib. arb. Bellarminus revocat, conferamus & examinemus.

II.

Hoc sane, quod & Aristoteli sufficit, assecuti illi sunt, & contra Stoicam ἀνάγκην & adamantinum Chrysippi Fatum, de quo Gell. 6. Noct. c. 1 & 2, contra fortuitum Epicureorum casum & atomorum motum, contra Academicos & Cyrenaicos, & quicumq; seu fortune, seu astrorum influentiae, non homini, vitiorum causam proximam tribuunt, defendunt, esse actiones humanas liberas, seu liberi arbitrii: idq; ipsum Philosophi evincunt rationibus ut videri potest in Bellarm. 4. de lib. arb. c. 10 & lib. 5. c. 14 & seqq. De istis hac vice consentimus, ad suam scholam reservato, quod naturalia non manserint integra & quod iudicium rationis practicum quoq; sit obtenebratum & corruptum.

III.

Istis vero, de quibus consentimus, & sermo atq; res doctori morali esse debet, non contenti otiosi speculatores, ulterius & ultra modum processerunt. Causa est, quod a Patribus usurpatam notionem, Liberum arbitrium, assumerint, & ad doctrinam Aristotelicam transfulerint, sed mentem Philosophi non recte attenderint. Etenim tam quoad pediam, quam quoad doctrinam ipsam a Philosopho divortium faciunt. Quoad illam, heterogenea, & ultra sortem Philosophiae civilis arguta de natura liberi arbitrii: quoad hanc, multa perplexa, absurda, Philosopho, rationibusq; adversa fovent & proferunt.

IV.

Et hac quidem vice quatuor cum primis quaestiones ventilabimus. Earum prima sit, utrum SOLIUS voluntatis sit liberum arbitriū. Hoc quippe cum quibusdam scholasticorū asserendum sum sit Bellarminus. Nam è tribus liberi arbitrii acceptionibus, lib 3. c. 2. Jesuita, Thomam secutus, ultimam hanc, ut

optimam & verissimam celebrat, qua per liberum arbitrium SOLIVS voluntatis actum significari docent. Et hinc est, quod cap. 8 prop. 3. scribit, potentiarum cæterarum non esse actus liberos, neq; capaces illas esse liberorum actuum, nisi ut procedūt à voluntate. Vbi adversarius per potentias cæteras sine dubio etiam intelligit proæresin & deliberationem. Atq; ita has quoq; à libertatis capacitate excludit. Eodem tendit, quod liberum arbitrium negat esse potentiam universalem, itidem q̄, tertiam quandam distinctam à ratione & voluntate: ideoq; libertatē formaliter in SOLA voluntate collocat; imò pro iisdem omninò habet liberum arbitrium & voluntatem. Id quod ex 12 cap. apparet, cuius titulus habet: Per liberum arbitrium non expeti mala, sed bona. Iam autem, præterquam, quod voluntatis actus est bona expetere, adversarius in ipso textu argumenta alia non affert, nisi quæ de voluntate & totidem verbis loquuntur. Aut proinde idem, aut vacillant argumenta.

V.

Et initio quidem destituitur adversarius in sua opinione ista omni fundamento. Nam ratio, quam affert, ineptè principium petit. Sic enim habet: Solus actus voluntatis propriè & verè liber est. Ergo solius voluntatis actus significatur per liberum arbitrium. Patres etiam, qui passim ad nomen arbitrij addunt voluntatis nomen, ac dicunt, liberum voluntatis arbitrium: parùm ipsi patrocinantur. Longè enim diversæ sunt, & multum discrepant locutiones istæ: Liberum voluntatis arbitrium, & SOLIVS voluntatis liberum arbitrium. Prior suo sensu concedi potest: Posterior minimè.

VI.

Deinde in contextu Arist. cui tanquã sedi propria tractatio de libero arbitrio cõmuniter tribuitur, hæc reperiuntur Synonyma; ἐκείνων, ἐφ' ἡμῶν, τὸν αὐθροῶν ἀρχὴν, ἢ γενετῆν τῶν προαίσεων, ἀρχὴν ἐπ' αὐτῶ ἀτίον αὐτὸν. Aut igitur Latinus terminus liberum arbitriū Grecis istis Arist. respondet, aut nihil ad Aristot. disputatio de libero arbitrio. Atqui vero locutiones Aristotelicæ spontaneum & proæresin exprimunt. Quid enim spontaneum, nisi cuius ἀρχὴ ἐπ' αὐτῶ? Similiter & προαίρετον omne spontaneum esse affirmat Aristot: & quidem prædeliberatum. Unde & proæresin aliter non definit, quàm deliberatam appetitionem eorum, quæ ἐφ' ἡμῶν. Rationem addit, quia προαίρετον sit deliberatum appetibile τῶν ἐφ' ἡμῶν.

VII.

Tertiò, quem refutandum eo ipso loco, ex quo suam hausisse voluerunt adversarij de libero arbitrio doctrinam, sumsit errorem Philosophus, non alio vocabulo proposuit ac formavit, quam ἐκείνους & ἀκείνους οὐδέεις ἐκῶν πονηρός, nemo sponte malus. Menti proinde Aristotelis qui irherere vult, ei liberum arbitrium sit oportet spontaneum.

Quartò

Quartò, enervat isto errore Jesuita Philosophi primum & precipuum argumentum, quo libertatem astruit. Si enim sola voluntas est libera, non etiam deliberatio & proeresis; tum ex virtutum obiecto petita, probatio hæc, nulla erit; quod virtutes & vitia sint ἐφ' ἡμῶν; quia virtutum operationes in ijs versentur, quæ sunt ad finem, hoc est, περι βουλευτὰ & προαιρετὰ.

IX.

Et videtur adversarius seu sciens, seu inscius (ut hoc moneamus, antequam progrediamur in principali) hoc ipsum non potuisse simpliciter evitare, quin proeresis quoque actum verè liberum agnoverit. Arguit hoc tam confusio ista, qua voluntati passim tribuit electionem & eligere, eiusdemque proprium actum electivum esse dicit; quam inde fluens distinctiuncula, in cerebro Jesuita nata, & frustra (quemadmodum & ipsius proeresis definitionem, pro altera parte in liberi arbitrij definitione posuit) inter voluntatem simplicem, & inter voluntatem solùm, ut est principium electionis, prout cap. 5 & 6 loquitur; vel, ut cap. 8. habet, inter voluntatem simplicem & voluntatem, ut est motrix.

X.

Quintò, conturbat & tollit adversarius sua ista supervacanea & confusa distinctione differentiã illam triplicem, qua Philosophus proeresin à voluntate determinat. 1. enim proeresis neque impossibile est, neque nisi eorum, quæ nos attinent: Voluntas tendit ad ea quoque, quæ alios spectant, & quæ vires nostras superant, imò ad illa, quæ fieri nequeunt. Ita multi cupiunt esse Casares, immortales; volare posse. 2. Voluntas tendit in finem: proeresis in media seu ordinata ad finem. Volumus esse sani, ideo præligimus dietam & pharmaca. 3. Voluntas solum intellectus prædici judicium exposcit: proeresis consultationem quoque, cuius lumine unum alteri præfert.

XI.

Sextò, nisi media ad finem equè ἐφ' ἡμῶν & in nostro sunt arbitrio, atque finis, tum pueris, furiosis, somniantibus, imò pecoribus quoque, liberum tribuendum erit arbitrium. Quippe & pecora sponte sua, nulla etiam vi acta, feruntur ad pabulum. De quo tamen consentire videtur adversarius, quod nimirum omnes, & sole naturæ intelligentes libertate illa polleant. Brutorum enim phantasia sive æstimativa destituitur principio altero libertatis, actu reflexo, quo ipsa imaginatio de suo iudicio statuat.

XII.

Septimò, ex casibus & coniugatis argumentamur: Ipso adversario citante cap. 5. lib. 3. de lib. arb. Philosophus lib. 3. Eth. cap. 4. distinguit (& rectè)

voluntarium à libero, quod ad liberum pertineat, posse facere & non facere. Distincta autem non sunt idem. Ergo voluntas non est ipsum liberum arbitrium.

XIII.

Octavo. Diversa obiecta, specie diversa constituunt. Obiectum enim finaliter speciem facit. Jam verò hoc interest, ipsius adversarij testimonio c. 3. inter voluntatem & liberum arbitrium, quod eadem appetendi potentia rationalis, ut respicit finem, dicitur voluntas, ut respiciat media, dicitur liberum arbitrium. Ergo liberum arbitrium neq₃ potest esse ipsa voluntas, neq₃ solius voluntatis.

XIV.

Eò minus voluntati soli adscribi libertas potest, quòd Bellarminus ipse fateri cogitur, c. 14. & sub fin. c. 5. posse voluntatem intelligi cum libertate à sola coactione, qualis est voluntas beatitudinis, hoc est, finis ultimi, saltem quoad specificationem: at potestatem electivam non videri intelligi posse cum determinatione ad unum & necessitate. Electio enim est inter multa, & ideo electionem præcedit consultatio. At si necesse habeo, unum aliquid velle aut facere, ubi est consultatio? ubi electio? Accedit, quod rursus eodem Bellarmino c. 2. astipulatore, hoc, quod vulgò dicimus, in meo arbitrio est hoc facere, idem sit, ac in mea electione & potestate est. Et in fin cap. Sic igitur, inquit, libera optio sive electio voluntatis rectius arbitrium, quam iudicium nominatur.

XV.

Imò cò evidentius sibi repugnat adversarius, quòd disertius c. 14 affirmat, & asserit, utrumq₃ hoc, & quod liberum arbitrium non sit finis, sed mediorum ad finem; & quod Philosophus lib. 3. Eth. c. 2 & 3. non semel repetat, electionem & consultationem non esse finis, sed mediorum tantum ad finem. Nonne ergò ex istis directè concluditur, electioni & consultationi, quam voluntati, cum libero arbitrio plus convenire? Siquidem cum electione & consultatione liberum arbitrium convenit obiecto: hoc tamen quo ad voluntatem discrepat.

XVI.

Conciliare quidem conatur discrepantiam hanc, qua modò voluntati soli, modò etiam appetitui seu electioni tribuit liberum arbitrium: Si, inquit, consideremus, quicquid aliquo modo pertinet ad liberum arbitrium, tum non solum media, sed etiam finis ad liberum arbitrium pertinebit: siquidem intentio finis libera esse potest. Si verò consideremus præcipuum actum liberi arbitrij, qui est electio, tunc sola media, non autem finis, ad liberum arbitrium pertinebunt, ut Aristoteles probat. Cæterum sæpe finis induit rationem medij, & eo modò ad obiectum liberi arbitrij pertinere potest. His adversarius se explicare cogitavit, sed magis magisq₃ involvit.

Nam

Nā ex ijs hoc tantum sequitur, 1. quod liberum arbitriū etiā aliquo modo pertineat ad voluntatem. Contendit autem Adversarius, ad solam illud pertinere voluntatem. 2. quod principaliter sola electio seu proeresis sit liberi arbitrii; quippe cuius illa precipuum esse actum fatetur adversarius. 3. quod non ipsum sit ipsum, hoc est, quod non finis sive medium sit finis. Si enim eo modo duntaxat ad obiectum liberi arbitrii aliquid pertinere potest, quatenus induit rationem medij, non poterit ad illud pertinere, quatenus rationem finis habet. 4. quod libertas seu liberum arbitriū, & voluntas simpliciter sint unum quid: quippe quod illis in verbis de libera arbitrio, idem alibi de voluntate adserit, precipuum eius actum esse electionem.

XVII.

Præterea cum præ voluntate οἰκειότατον & proximum actionum ex virtute morali procedentium sit principium, & demonstratur ab Aristot. proeresis: præ illa quoque hæc libertatis capax, imò libera erit. Idque adeò verum est, ut neque ipse Bellarminus liberum arbitrium per voluntatis, sed per electionis definitionem definiat. Sic enim habet: Liberum arbitrium est libera potestas ex his, quæ ad finem aliquem conducunt, unum præ alio eligendi, aut unum & idem acceptandi, vel pro arbitrio respiciendi &c. Quia in definitione præter λεπτολογίας, liberum est libera, arbitrium est pro arbitrio &c. & alias ineptias, hoc in primis in transcurso notandum, quod sciens eiusdem quatenus accidens, & quatenus subiectum est definiti definitionem, hoc est, & essentialem & accidentalem definitionem commisceat.

XVIII.

Hæc enim ipsiusmet verba sunt: Itaque nomen illud potentia seu potestas indicat genus; illud, libera, differentiam. Quia verò potentia omnis est accidens &c. ideo in definitione plena & perfecta &c. Risum, quaeso, teneatis. Potentia eiusdem definiti in eadem definitione est & genus & accidens. Et quod electio sit proximum actionum principium, res ipsa atque electionis natura ostendit. Nam electio ex duobus constat principiis, ex appetitu & intellectu practico, qui sibi finem aliquem propositum habet. Ex istis verò principiis gemina hæc eritur actio, fuga & persecutio. Quia ratio seu δίανοια practica appetitui iuncta effusum appetitus ac brutum impetum dirigit, & res fugiendas aut persequendas & intelligit & deligit. Quia de re etiam lib. 6. Nicom. ceu in medio relinquitur, utrum principalius proeresis ad appetitum, an ad intellectū practicum pertineat. Dicit enim Sophus; proeresis est ὁ ὄρετικὸς, intellectus appetitivus, ἢ ὄρεξις διανοητικὴ AVT appetitus intellectualis.

A 4 Cmm

XIX.

Cum ista etiam notione & locutione propriè congruere, & ad eam conformata videtur hæc Latina, *Liberum arbitrium*. Aliã consimilis in Aristotele vix reperietur. Accedit, quod eidem Latine idem accidat, quod Græca & Aristotelica, ut nimirum dubitetur, magisne dici debeat, *liberum arbitrium*, an *arbitraria libertas*, seu, quod idem est, potiusne intellectui (sive, ut alij loquuntur, iudicio) an appetitui (sive, ut itidem alij loquuntur, voluntati) tribui debeat.

XX.

Quod cum ita sit, propius rem tetigerunt, qui nomen liberi arbitrij existimarunt, significare coniunctionem duorum actuum, id est, iudicij rationis & electionis: & ratione iudicij nominari arbitrium, ratione electionis appellari liberum. Quorum sententiam ipse Bellarminus comprobat; inscius quamvis & nolens, quando nomen arbitrij propriè ad intellectum pertinere cap. 2. fatetur; accommodari autem voluntati, quia electio voluntatis sit quasi sententia quædam & iudicium ultimum voluntatis. Evidentius verò iidem proeresin & appellationem illam Aristotelis notarent, dum adiecerunt, *Liberum arbitrium* nihil esse aliud, nisi iudicium cum electione, sive electionem cum iudicio. Rectissimè explicassent, nisi electionis voce pro appetitu abusi essent, & principatum atq; totum principio atq; parti ἀντιδυσκρίτως opposuissent.

XXI.

In tertio lib. Nicom: Sophus huc inclinat, quod respectu obiecti proeresis magis sit appetitus. Sicut etiam ibidem eam definit ὄρεξις βουλευτικὴν, appellationem prædeliberatam. Ratio est, quia proeresis obiectum proprium est illud, quod est ad finem. Hoc autem, in quantum huiusmodi, habet rationem utilis: quod ipsum est appetitus obiectum.

XXII.

Nequaquam igitur solius voluntatis libertas, neq; libera voluntas sola est, sed quævis actio, & potissimum ex proeresi sive de industria & data opera commissa. Neq; initium duntaxat actionis, sed continuatio quoque, & in summa, actiones humane omnes propter causam suam libere. Quod enim August. lib. 5. de civit. cap. 10. voluntati adscribit, id nos merito cum Aristot. ad omnes referimus actiones, quod illa necessitas, de qua dicimus, necesse esse, hominem liberè agere, non faciat, ut opera liberi arbitrij non sint libera: non enim cadit illa necessitas super opera, sed super modum, & est ex hypothesi, non absoluta. Non enim necesse est absolutè, ut homo hoc agat, aut illud, sed est in eius potestate agere hoc, aut illud, & agere hoc, aut non agere:

tamen

tamen posito, quod agat, necesse est, eum liberè agere; quia talem modum ope andi eius natura postulat.

XXIII.

Altera nostra questio sit, quænam libertas sit necessaria ad liberum arbitrium. In hac adversarius itidem cum Scholasticis terminos adhibet, minus significanter, minusq; perspicue respondentes Aristotelicis. Illi dicunt, ad liberum arbitrium exigi libertatem à necessitate, eaque absoluta, non conditionata; & à coactione, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium. Dicuntur autem illa esse libera à simplici coactione, inquit Bellarminus, quæ tametsi necessariò fiant, nec possint non fieri, tamen sponte, voluntariè & libenter fiunt; ut cum ita volumus esse felices, ut infelices nullo modo esse possimus. Illa verò dicuntur esse libera à necessitate, quæ pro arbitrio possumus velle & nolle, sive etiam velle, & non velle, ut cum ambulamus & loquimur, quando tacere & sedere potuissemus.

XXIV.

Istam partitionem desumptam esse ex doctrina Philosophi in lib. 3, Eth. c. 4. & 5 Bellarminus disertè scribit cap. 4. Iam verò in capitibus istis allatis Aristoteles non nisi ἐκδύοις & ἀκδύοις partitur. Ergo primò itidem propria adversarij confessione obtinemus, libertatem seu liberum arbitrium pro spontaneo accipi. Deinde verò illic loci ita distribuit spontaneum Sophus, cuius principium sit propensio in agente: & qui singularia, in quibus actio occupatur, non ignoret. Ratio est: Quia ex notitia unius oppositi rectè elicitur cognitio alterius. Jam autem invitum est spontanei oppositum, idq; aut violentia, aut ignorantia agitur. Ergo spontaneum quoq; totidem se habebit modis; erit unū, quod correspondeat violento, alterum, quod invito per ignorantiam: hoc est, sequetur aut rei naturam, aut notitiam. Quandoquidem horum principiorum alterutro spontaneum oritur; appetitu vel cognitione. Patet igitur, quod licet permittatur, coactionem (quæ tamen ipsa generalius quid dicere, & invito equipollere videtur) pro violento usurpari, non tamen necessitatem absolutam pro invito ignorantiam admitti posse.

XXV.

Et quod sola singulorum, quæ Facti appellatur, ignorantia actionem reddat invitam, sic sit manifestum: Invitam actionem reddit vel eius, quod expedit & expetendum est; vel universalis, quod locum propositionis maioris seu communis obtinet, tanquam norma & domina; aut singulorum, quæ ad actionem conspirant, inscientia. Sed non priorum duorum ignorantia: utpote quæ iuris,

is, crassa & affectata vulgò dicuntur: minimò, etiam eius, quod expedit, seu finis inscitia, quæ deliberatione concernit, ideoq; improbitatis causa est, invitam facit. Singulare autem conficiunt circumstantiæ istæ: agens; quod agitur; instrumentum; modus; quando; ubi; cum quo; quamdiu; & imprimis finis; & in quod agit. Porro quicumq; per ignorantiam agit, agit etiam ignorans, sed non vice versa. Illud enim fit, quando primaria actionis causa est inscitia, quæ si abesset, non ageremus. Ita ebrius ignorat sæpè, se hoc vel illud commississe, non per ignorantiam, sed per ebrietatem, ut causam ignorantia.

XXV II.

Tertiò iterum ab Arist. recedit, ista Scholasticorum distributio, quod libertatem ad tò velle & nolle coarctat; cum eam ad omnes actiones Sophus extendat. Quarto inde aliam adhuc habet Philosophus distributionem, in actiones simplices, sive simpliciter spontaneas, aut invitas, & mixtas, seu anticipatas: quam expungit, aut certè obliterat illa Scholastica. Qua tamen non adhibita, quorsum referetur hoc, quod quis aut metu maioris mali agit, aut ut bonum aliquod insigne consequatur? e. g. Si tyrannus sanciat, aut hoc agendum (turpe quamvis) aut moriendum: & subditus morti illud preferat: aut si naufragij periculo imminente merces è navi eijciat nauta. Simpliciter quidem actiones istiusmodi invitas forsan sunt: quia nemo quicquam earum per se expetierit. Nemo ἀπὸ λῶς, sponte; ob navis autè, suamq; & sociorum salutem, sanus quivis merces è navi eijcit. Et tamen eiusmodi actio plus de spontaneo, quàm invito participat. Quia 1. dum perficitur, optabilis est & expetitur; propterea, quod finis eius sit pro oportunitate: quatenus minus malum cum deteriore comparatum, melius est. 2. Principium movendi organica membra, e. g. manus, aut pedes; in actione ea penes agentem est. 3. Actio est singularium; omnia autem singularia sunt spontanea.

XXV III.

In aliquibus actionum earum nonnunquam laudantur, qui pro magnis & honestis rebus turpitudinem tolerant & molestiam: sicut Solon in commodum patriæ simulans insaniam. Secus qui fecerit, vituperatur. Nam qui nullius unquam honestatis aut mediocritatis gratia, ignominiam & probra vult perferre, merito improbus habetur. In quibusdam verò non laus, sed venia obtinet; quando nimirum, quod committendum non erat, quispiam committit, is adactus, quæ naturam humanam superant, & quæ nemo facile sustineret: velut, si inter sevisimos torture cruciatus heri sui arcana servus prodar.

Nonnul-

XXIX.

Nonnulla ita sunt comparata, ut ad ea perpetranda, nulla vis, nulla necessitas, nulla spes, promissio nulla, quanta quanta, movere, impellere, cogere nos debeat: tale fuit, quod Amphiarai suam matrem interfecit Alcmaeon. Huiusmodi quam perpetremus, tormenta potius exquisitissima perferre, bibere, cum Socrate cicutam debemus. Sunt enim ea mala, quae vocantur culpa; ex quibus nullum est eligendum & designandum. Vbi vero ob singularium infinitam varietatem, magna se offert in discernendo difficultas, utrum utri preferendum, utrum perferendum: maior etiam est explorato malo minori constanter inherendi.

XXX.

Tertia questio sit de terminis Scholasticorum, positivè velle & nolle, & negativè non velle. His enim non modò obscurarunt Aristotelicos istos: Sponte, invito, non sponte: sed eosdem quoque ad voluntatem solam restrinxerunt. Cum vis eorum multò amplior sit. Neque enim, quicquid per ignorantiam committitur, spontaneum est, sed invitum habetur, quod subsequitur dolor, & cuius eum, qui egit, poenitet. Quem verò eius, quod per inscientiam admisit, non poenitet, is non sponte illud, sed non dicendus est invito egisse.

XXXI.

Tandem questio ultima sit, habeatne homo in potestate actiones suas futuras tantum, an etiam praesentes. Haec in praecedentibus sua habet fundamenta. Cum enim proeresis non nisi deliberationis intuitu futuris occupetur, & determinatis; per se autem sit praesentium: merito rejicitur Lombardus, qui cum suis ad seclis. 2. Sent. dist. 25. liberum arbitrium scribit, non esse praesentium vel praeteritorum, sed futurorum tantum: quia praesentia & praeterita determinata sint ad unum. Quod falsum est. Quia aliàs verè dici non posset, hoc liberè fiet, quia in praesenti non posset verè dici: hoc liberè fit. Sed neque verè dici posset, hoc liberè actum est. Imo sequetur, eos, qui peccant, tum minimè peccare, quando maximè (hoc est, ipso actu) peccant. Hoc enim praesentium est.

XXXII.

Ista eatenus considerasse & disputasse in doctrina de moralibus seu civilibus & humanis actionibus sufficit. Abundè & perfectè pro ijs, si (cum actiones vel spontaneae sint, vel invitae; & in illis laudes aut vituperationes; in his venia quandoque & misericordia locum habeat) dictum fuerit, quid & quo duplex utrunque sit, spontaneum scilicet, & invitum, ut constet, quae spontanea

tanea & proeretica, quæ & quatenus invita sit habenda actio: hoc est, ut est principium & causa actionis. Nimia proinde videntur hic questiones istæ, sitne liberum arbitrium in potentia, an in actu, aut habitu? sitne potentia, vel habitus naturalis, vel superadditus, vel qualis sitne universalis, an particularis: Sitne activa tantum, an passiva, aut partim passiva, partim activa. Nisi per passivam potentiam intelligatur invitum; per activam spontaneum, per activam partim, partim passivam, actio mista. De cetero qui ultra pensum non sapit, is ^{est} ^{et} ^{canit}

VOGELSANGIVS

per Anagramma

O! LEGIS GNAVVS.

O studium in stadio! Sophien Sacram atque Profanam
Et LEGIS & GNAVVS (quod potes arte) probas.

ἄντοσχεδῖος parabat amico suo

M. Henricus Godekenius

Hildef. Saxo.



Coll. diss. A. 99, misc. 43